



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**R. P. Vincentii Brvni, Socie-  
tatis Iesv, Meditationes,  
In Septem Praecipva Festa B. Virginis**

**Bruno, Vincenzo**

**Coloniae Agrippinae, 1598**

Disc. II. De Communi SS. Martyrum.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-59989](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-59989)

366 DISCVRSVS DE  
vipalis hominis pars, imitandam sibi sciat  
serpentis prudentiam, & exponendas non  
solum facultates, aliaque bona tempora-  
lia, verum etiam vitam, si opus sit, pro-  
priam, ad tuendum diuinum honorem, &  
anime salutem.



DE COMMVNI  
S A N C T O  
R V M M A R T Y -

R V M.

DISCVRSVS II.  
EVANGELIVM.

Matt. 24.  
Mar. 13.  
Luc. 21.

**V**IDETE vosmetipsos, nam  
ante omnia iniicient vobis  
manus suas, & persequetur  
tradentes in Synagogas, & custo-  
dias, trahentes ad reges & prae-  
sides, propter nomen meum. Con-  
tingent aut vobis in testimoniū  
illis. Et quando duxerint vos tra-  
dentes, ponite in cordib. vestris,  
nō premeditari quemadmodū re-  
spon-



spondeatis, sed quod datum vobis fuerit in illa hora, id loquimini. ego enim dabo vobis os, & sapientiam, cui non poterunt resistere & contradicere omnes aduersarii vestri. Tunc tradent vos in tribulationem Trademini autem a parentibus, & fratribus, & cognatis, & amicis, & morte afficient ex vobis. Tradet autem frater fratrem in mortem, & pater filium, & confurgent filij in parentes, & morte afficient eos, & eritis odio omnibus gentibus propter nomen meum. Qui autem perseuerauerit usque in finem, hic saluus erit, & capillus de capite vestro non peribit. In patientia vestra, possidebitis animas vestras.

FIGURAE.

1. **N**OË Patriarcha in renouatione mundi post generale diluuium solenne sacrificium obtulit Deo ex omni genere animalium, quae in terra inueniri potuerunt. *Gene. 8.*

2. **I**N dedicatione templi a Rege 3. Reg. 8.

Q 5 Sa



Salomone exstructi multa millia  
 uinum & boum in sacrificium occisa  
 fuere.

Don. 2.

3. IONAS in terribili quadam  
 tempestate proiectus in mare, à grã-  
 di pisce absorptus est: cumq; putare-  
 tur submersus & mortuus, saluus &  
 incolumis in luttus eiectus est.

PROPHETIAE.

Psal. 43. 1. PROPTER te mortificamur tota  
 die, aestimati sumus sicut oves occi-  
 sionis.

Psal. 78. 2. Posuerunt morticina seruorũ suorum,  
 escas volatilib. celi. carnes sanctorum tuo-  
 rum bestijs terræ. Effuderunt sanguinẽ eo-  
 rum tanquam aquam in circuitu Hierusa-  
 lem, & non erat qui sepeliret.

Psal. 33. 3. Multae tribulationes iustorum, & de  
 omnibus his liberabit eos Dominus. Custo-  
 dit Dominus omnia ossa eorum: vnus ex  
 his non conteretur.

Sap. 3. 4. Iustorum anime in manu Dei sunt,  
 & non tanget illos tormentum mortis.  
 Et si coram hominibus tormenta passi sunt,  
 spes illorum immortalitate plena est: in  
 paucis vexati, in multis bene disponuntur:  
 quoniam Deus tentauit eos, & inuenit eos  
 dignos



dignos se, tanquã aurum in fornace probavit illos, & quasi holocausti hostiam accepit illos.

## CONSIDERATIONES.

**D**AVID Propheta sanctus prævidens persecutiones excitandas in futurã Ecclesiam, nobilissimamq; civitatem varijs modis ab hominibus impijs affligendam & vastandã, commiseratione tantarum calamitatum motus se conuertit ad **DEVM** & dixit. **DEVS** venerant gentes in hereditatem tuam, polluerunt templum sanctum tuũ, posuerunt Hierusalem in pomorum custodiã. Posuerunt morticina feruorum tuorum escas volatilibus cali, carnes sanctorum tuorum bestijs terre, effuderunt sanguinem eorum tanquam aquam in circuitu Hierusalem, & non erat qui sepeliret. Quid verò aliud est hæc Dei hereditas, hoc templum sanctum, & hæc eius ciuitas, quam dilecta illa Nauicula, quæ in hoc vaso & spatiofo mundi mari continuis ventis & tempestatibus agitur & concutitur, nempe Ecclesia Sancta, quæ toto orbe diffusa, partim à varijs tyrannis. partim à malignis spiritibus grauissimas continenter perpessa est.

Q 6

per-



persecutiones. Hanc Domini hæreditatem magna vi & immanitate inuaserunt huius mundi Principes vt eam vastarent & penitus exciderent, multiplicibus tormentis homines iustos & innocentes excruciendo, & vita spoliando Hoc ipsum & S. Propheta Helias deplorabat cum lachrymis dicens. *Altaria tua, Domine, destruxerunt, & prophetas tuos occiderunt, & derelictus sum ego solus, & querunt animam meam vt auferant eam.* Verum, o inaudita impietas, non satis erat impijs, duris & exquisitis supplicijs sanctos e medio tollere, & pretiosum eorum sanguinem effundere, sed inuidia & malitia excecari, ne permittebant quidem vt sacra illa corpora mandarètur sepulturæ, vnde & in publicas vias bestijs deuoranda obiciebant. De istis dem persecutionibus Prophetarum & Sanctorum veterum scripsit Apostolus laudans fidei eorum constantiam his verbis. *Alij ludibria & verbera experti, insuper & vincula & carceres, lapidati sunt, secti sunt, in occisione gladij mortui sunt, circueierunt in melotis, in pellibus caprinis, egentes, angustiat, afflicti, quibus dignum non erat mundus, in solitudinibus errantes, in*

3, Reg. 19,

Hebr. 11.

mon-



montibus, & in speluncis & cauernis  
 terra. Fœlices sancti, qui, dum mun-  
 dus affligendo eos facit indignos se,  
 reddit eos dignos cælo. Idem prædi-  
 xit quoque Dominus suis Aposto-  
 lis. *Ecce ego mitto vos quasi agnos inter*  
*lupos. Mitto vos quasi mansuetos, hu-* *Ioan. 16.*  
*miles & pacificos inter crudeles, su-*  
*perbos & iracundos, qui existima-*  
*bunt se in vobis occidendis sacrifi-*  
*cium præstare Deo. Verum conside-*  
*ra, quanto superiores illis fuerint in-*  
*patiendo martyres nouæ legis: fue-*  
*runt enim ad id inuitati & animati*  
 CHRISTI exemplo, qui tanquam  
 Princeps & dux cum cruce eos præ-  
 cessit, ad quem sequendum hortatur  
 quoque Apostolus Petrus, dicens. *1. Pet. 2.*  
*CHRISTVS passus est pro nobis, vobis re-*  
*linquens exemplum, vt sequamini vesti-*  
*gia eius. Quis iam tam abiectus miles*  
 sit, qui nullum ictum sustinere ve-  
 lit, dum videt ducem suum & Impe-  
 ratorem à capite vsque ad pedes vul-  
 neratum & sauciatum, & quis cum  
 filijs huius sæculi velit coronari ro-  
 sis, dum cernit Dominum suum co-  
 ronatum spinis? Nec solum marty-  
 res fuerunt exemplo Saluatoris ani-  
 mati, sed etiam inter ipsa tormenta  
 Q7 conso-



372 DISCVRSVS DE  
consolati & recreati tandem copio-  
sè remunerati. Promiserat enim se  
eos refocillaturum in laboribus, plā-  
ctum eorum conuersurum in gau-  
dium, & abundantem retributurum  
in cælo mercedem. Benedictæ affli-  
ctiones, quæ causa CHRISTI tole-  
rantur, & benedictæ lachrymæ, quæ  
eiusdem CHRISTI desiderio spar-  
guntur, & beati oculi, qui meribun-  
tur diuinis eiusdem Creatoris ma-  
nibus abstergi.

*Apo. 6.*

2. NARRAT Euangelista Ioannes  
in Apocalypsi sua, se in visione sua  
vidisse equum candidum, & sedentē  
in eo habuisse arcū, datamq; ei coro-  
nam. Et mox subiungit, *Et exiit vin-  
dens, ut vinceret.* Quid verò aliud si-  
gnificabat hic equus totus pulcher &  
candidus, nisi exercitum sanctorum  
Martyrū, in quo sedet CHRISTVS  
Saluator noster, cuius opera pugnat,  
sicut scriptum est. *Qui ascendit super e-*

*Abac. 3.*

*quos tuos, & quadrigæ tuæ saluatio, susci-  
tans suscitabis arcum tuum.* Nihil enim  
aliud designat hic arcus Domini, ni-  
si prædicationem, & prudēs Sancto-  
rum suorum responsum, quæ velut  
sagittæ cor tyrannorum penetra-  
bant, & vitiorum malignorumque  
spirituum



spirituum exercitum fugabant. Nam  
 corona diuini huius equitis capiti  
 imposita, significabat victoriam,  
 quam per validos suos milites & pu-  
 gnatores de mundo & dæmone ob-  
 tinuit: in quolibet enim martyre  
 ipse certabat, in quolibet vincebat, &  
 in quolibet coronabatur. Quare be-  
 ne dicit scriptura eum exiisse vin-  
 centem vt vinceret: idemque con-  
 firmavit Propheta, quando in per-  
 sona sanctorum Martyrum dixit.  
*In Deo faciemus virtutem, & ipse ad*  
*nihilum deducet tribulantes nos.* Post *Psal. 59*  
 hæc vidit Ioannes exeuntem ali-  
 um equum rufum, sedenti que in  
 eo data fuit potestas tollendi pa-  
 cem de terra, vt homines se inuicem  
 interficerent, & ideo in manus tra-  
 ditus est ei gladius magnus. Quid  
 verò aliud præfigurabat hic sangui-  
 neus equus, quam tyrannorum, a-  
 liorumque dæmonis ministrorum  
 exercitum, cui insidens ipse dæmon  
 tam immaniter, tamque multipli-  
 cibus supplicijs dissecat in sancto-  
 rum Martyrum corpora atque vi-  
 tam? Hi sunt equi illi, & quadri-  
 gæ illæ Pharaonis, persequentes po-  
 pulum DEI, quæ omnes sunt  
 in



374. DISCVRSVS DE

in mari rubro submersæ. Hic est impius ille & crudelis eques, qui pacem sustulit è terra, qui velut discordiæ autor, & hostis pacis, nunquam destitit omni genere tentationum, persecutionum & insidiarum turbare genus humanum. Huic traditus est ille gladius magnus: hic enim accendit odia, commouet seditiones, inflammat ad bella animos, efficitque vt homines in mutuas cædes ruant. Denique huius consilio & suggestione tyranni tantum martyrum sanguinem effudère, tantamque immanitatem CHRISTI confessores exercuere. Legimus in dedicatione templi Dei, à Salomone occisa centum viginti milia ouium, & viginti duomillia bouum. Quid verò aliud tanta sanguinis profusio in dedicatione templi denotauit, nisi sanguinè totidem millium Sanctorum, qui Christi, Ducis sui exemplo, pro nomine eius sancto vitam suam profuderunt, suoque sanguine sanctam eius dedicarunt Ecclesiam? similiter solemnè illo holocausto ex omnibus animalibus mundi terræ totius à Patriarcha Noë facto, non aliud designabatur, quàm horum sanctorum Martyrum.

3. Reg. 8.

Gen. 7.

rum



rum passio & sacrificium, qui ex omni aetate, conditione & gente pro CHRISTI nomine toto orbe fuerunt trucidati, & quasi animalia munda & innoxia Domino in holocaustum oblata. Quamobrem eodē loco recte dicit scriptura, quod *odoratus sit Dominus odorem suauitatis*. in quam sententiam & de martyribus scriptum est: *Pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum eius*. neque enim Deus tantoperē delectatus est fumo & sanguine animalium, quantum sanctorum martyrum passione, utpote sacrificio longe in diuinæ Maiestatis conspectu gratiore. Denique in hos inuictos CHRISTI milites optimè conueniunt uerba sponsi suam sponsam laudantis. *Dentes tui, inquit, sicut greges tonsarum, quæ ascendunt de lauacro, omnes gemellis fetibus, & sterilis non est inter eas*. Fuerunt sancti Martyres dentes, quia ut fidei sanctæ fidei & Ecclesiæ Christi defensores, cum opus esset, tyrannis demonstrabant dentes, resistendo illorum impietati, sapientissimisque responsis eos mordendo. Erant quoque quasi oues tonsæ & lotæ: quia spoliati sunt lana & abluti, quando amissa vita sunt exuti

corpo.

*Psal. 115.*

*Cant. 4.*



corporibus, & proprii sanguinis lauacro mundati, conscenderunt ad vberissima pascua gloriæ, fœcundarum ouium instar cum gemino fructu, quia ad sanctitatem vitæ adiunxerunt tolerantiam martyrij. Neque vllus inter eos sterilis fuit, quia non modo sibi profuerunt recepto pro se singulari præmio & corona in cælo, verum etiam alijs, suo illustri exemplo plurimum conuersionem & salutem illorum promouendo.

3. CONSIDERA inter omnia opera Christiana nullum esse præstantius, nec maiore laude dignum, nec in Ecclesia Dei celebrius tolerantia martyrij. Ratio est, quia charitas, in qua istud opus fundatur, & à qua procedit, omnibus præstat virtutibus, atque inter charitatis opera hoc martyrij præstat reliquis. sicut bene dixit ipse Dominus. *Maiorem charitatem nemo habet, ut animã suam ponat quis pro amicis suis.* quod verè adimplerunt Martyres. Magnum quoque est hoc opus, tum ratione malî, quod in illo toleratur omnium acerbissimum, nempe mors, tum ratione boni, quod homo perdit omnium

*Ioh. 15.*

grat



gratissimum, videlicet vita. Verum  
 licet homo constet anima & corpo-  
 re, ita duo reperiuntur martyrij ge-  
 nera. Vnum manifestum & exter-  
 num, quod consistit in passione cor-  
 poris, & morte pro CHRISTO  
 tolerata. Alterum est internum,  
 quod consistit in occulta quadam  
 virtute animi eorum, qui robore spi-  
 ritus conatur mortificare opera car-  
 nis; qui quidem dum inuisibiles per-  
 secutiones & malignorum spirituum  
 insidias patienter tolerant, & carna-  
 libus cupiditatibus fortiter oblecta-  
 tur, de se Deo omnipotenti gratissi-  
 mum offerunt sacrificium, facti hoc  
 modo, tempore licet pacis, veri mar-  
 tyres CHRISTI. Nam non solum  
 martyrij loco reputatur profundere  
 sanguinem in CHRISTI confesso-  
 ne, sed etiam mentis deuotæ serui-  
 tus, & cor mortificatum est conti-  
 nuum quoddam martyrium. Iam  
 quod ad primi generis martyres at-  
 tinet, qui propriè vocantur Marty-  
 res, quibusque singulatim tribuitur  
 in caelo aureola martyrij, hi fuerunt  
 prudentes illi negotiatores, qui in-  
 uenta in agro pretiosa margarita, o-  
 mnia sua vsque ad sanguinem &  
 vitam



vitam propriam exposuerant, vt eam  
 comparare possent. Audierant, ni-  
 mirum, hi gloriosi sancti, quod Do-  
 minus dixit. *Nisi quis renunciauerit o-*  
*mnibus quæ possidet, non potest meus esse*  
*discipulus.* Quare neque dubitarunt  
 magno animo opibus, honoribus &  
 voluptatibus, vsque ad propriū cor-  
 pus & vitam temporalem renuncia-  
 re, vt omnibus rebus creatis exuti,  
 possent sequi CHRISTVM eiusque  
 discipuli esse. Non reformidabant  
 tyrannorum minas, non carceribus,  
 gladijs, flagellis, equleis, candentibus  
 laminis, morte ipsa terrebantur; sed  
 ob oculos posito vno Imperatore  
 suo Christo nudo, cruci affixo, plus  
 ad patiendum animabantur & accē-  
 debantur, maioremque cruciatum  
 ipsi sentiebant ex CHRISTI passio-  
 ne, quam ex supplicijs sibi nomine  
 CHRISTI illatis. Viuebant in carne,  
 sed corde cum CHRISTO pende-  
 bant in cruce. Vnde bene poterant  
 cum Apostolo dicere, *CHRISTO con-*  
*fixus sum cruci. Vivo ego, iam non ego, vi-*  
*uit verò in me CHRISTVS.* O beatam  
 martyrum mentem, quæ neque tri-  
 bulationibus, neque angustijs, neque  
 verberibus, neque laboribus, neque  
 vllis.

Luc. 14.

Gal. 2.



vllis rebus præsentibus aut futuris  
 potuit separari à caritate CHRISTI.  
 Fœlix mors & verè pretiosa in con-  
 spectu Domini, quæ finem dedit mi-  
 sero huius mundi exilio, & aditum  
 ad æternam fœlicitatem aperuit, sto-  
 lam immortalitatis dedit, angelis æ-  
 quales reddidit, & cum CHRISTO  
 coniunxit. O quanta est dignitas,  
 quanta securitas, egredi ex hoc æru-  
 minoso sæculo lætum & hilarem, in-  
 ter mortis angores exire gloriosum,  
 breui momento concludere oculos,  
 quibus videntur homines, & aperire  
 illos ad videndum in æternum Deū,  
 extemplò tolli è terra, vt in cælo in-  
 ter angelorum choros colloceris. O  
 beata Ecclesia, quæ in hunc modum  
 fuisti glorioso sanguine tot marty-  
 rum illustrata. Ecce iam non desunt  
 tibi, nec lilia, nec rosæ ad coronan-  
 dum tuos filios. Currant igitur om-  
 nes, qui ad veros & æternos hono-  
 res anhelant, ad recipiendum illas  
 amplissimas coronas, vel candidas  
 in bonorum suorum operum præ-  
 mium, aut rubicundas in retributio-  
 nem martyris.

4. QVOD attinet deindè ad glo-  
 riosum martyris nomen, & quibus  
 de

de



380 DISCVRSVS DE  
de caussis hæc victrix palma & coro-  
na acquiratur, primo sciendum est,  
nomine Martyris non aliud signifi-  
cari quam testimonium; quia mar-  
tyres verè vsque ad mortem sunt  
testimonia. Primo enim dederunt  
testimonium fidei Christianæ, quæ  
erat verissima & certissima, & quod  
CHRISTVS Dominus noster  
erat verus & naturalis Dei filius, ac  
Creator vniuersi, qui per infinitam  
suam charitatem factus homo ve-  
nit in mundum, ad redimendum  
sua morte genus humanum. Præ-  
terea exemplo suo apertè declara-  
runt, huius temporis passiones non  
esse condignas ad futuram gloriam  
quæ reuelabitur in nobis. Denique  
demonstrarunt quatuor principales  
virtutes, ac primo quidem summam  
in CHRISTVM caritatem, cuius  
amore vitam profuderunt; Secundo  
inuietum animi robur, quo omnem  
metum repellabant. Tertio solidam  
fidem, eos in sancto proposito con-  
firmantem. Vltimo patientiam in-  
superabilem in tolerandis omnibus  
tormentis, quæ ab infernali hoste  
per ministros eius Tyrannos potue-  
runt excogitari ad affligendū corpus  
hu-



COMMVNIS. 381

humanum. Iam ut aliquis per supplicia & mortem perueniat ad martyrij gloriam, necessarium est, ut dicta poena secuta sit aliquo sequentiū modorum. Primo enim illi sunt, veri martyres, qui patiuntur moriunturque pro fide, & vera confessione CHRISTI. Nam ut loquitur Apostolus, *Corde creditur ad iustitiam, ore autem fit confessio ad salutem.* atque ita quilibet Christianus semper debet esse paratus ad confitendum etiam ore illam fidem, quam tenet corde, etiamsi perdenda esset vita. Secundo veri Martyres sunt, qui patiuntur pro CHRISTO sicut sancti Innocentes pro eo sunt occisi ab Herode, qui existimabat se vna cum illis etiam occisurum CHRISTVM. Vnde merito, quia eius loco mortui sunt hac gloriosa corona coronati sunt. Tertio veri martyres sunt, qui pro charitate quam debent proximo, eiusque salute patiuntur & etiam discrimini vitæ se exponunt, secuti exemplum CHRISTI, de quo scriptum est. *Portauit peccata nostra in corpore suo super lignum, ut nos mortui peccatis, viveremus iustitie.* Quarto martyres sunt

Rom. 10.

1 Pet. 2.



sunt, qui potius eligunt mori quam  
 præuaricari aliquod præceptum le-  
 gis, vti fecerunt sancti illi Machabei,  
 qui ne diuinam legem transgredere-  
 tur, ab impio Antiocho inaudita  
 quadam crudelitate sunt mactati.  
 Quintò martyres sunt, qui patiuntur  
 ex eo quod immunitates & priuile-  
 gia Ecclesiæ defendant, vti fecit inui-  
 ctus ille martyr S. Thomas Cantua-  
 riensis. de quo legimus, cum post  
 mortem eius Clerus iusta ei perfol-  
 ueret, vt solet fieri pro defunctis, an-  
 gelos auditos inchoantes Antiphona-  
 nam, *In virtute tua Domine letabitur  
 iustus*: quæ solet cantari in Missis  
 Martyrum. Sextò martyres sunt, qui  
 patiuntur propter suam bonitatem  
 vel iustitiam, quomodo passus est  
 iustus Abel à fratre occisus, de qui-  
 bus dixit Dominus. *Beati qui perse-  
 cutionem patiuntur propter iustitiam, quo-  
 niam ipsorum est regnum celorum.* Septi-  
 mò & postremò martyres sunt, qui  
 patiuntur propter defensionem veri-  
 tatis, vt cum diuini honoris zelo, sa-  
 lutisque alienæ procurandæ causa  
 impulsu alium corrigunt vel repræ-  
 hendunt. qua de causa S. Ioannes Ba-  
 ptista Domini præcursor mortem  
 susti-

*Matt. 5*



sustinuit. Similiter sancti Prophetæ  
 Isaias & Jeremias, ille ab impio rege  
 Manasse, hic à populo Iudaico. Za- *2. Par. 14.*  
 charias quoque Sacerdos eadem de *Matt. 23.*  
 causa ab eodē populo fuit inter tem-  
 plum & altare crudeliter lapidatus &  
 occisus.

§. ADHÆC quoad cruciatus &  
 pœnas quæ sustentur in martyrio,  
 tria alia inveniuntur Martyrij ge-  
 nera. Quidam enim patiuntur &  
 excruciantur animo tantum & non  
 corpore: quo modo passa est beatissi-  
 ma virgo MARIA, dum staret sub  
 cruce filij, cōuenienter vaticinio Si-  
 meonis, *Tuam ipsius animam pertrans-*  
*bit gladius.* Ac dolor quidem ille, quo *Luc. 23.*  
 in morte filij transfixum fuit cor mi-  
 sericordissimæ virginis tam vche-  
 mens fuit & grauis, vt merito illa di-  
 catur plus quam martyr, imò Regi-  
 na martyrum. Nam hoc tanto acer-  
 bior & atrocior fuit MARIAE hæc  
 passio, quod totum quod passa est,  
 fuerit in solo spiritu & anima, qui  
 dolor fuit longe maior doloribus,  
 quos Martyres sustinuerunt in cor-  
 pore. Vnde & verissimè completum *Ioel. 2.*  
 est illud Ioelis vaticinium *Sol conuer-*  
*tetur in tenebras, & Luna in sanguinem.*

R

CHRI-



384 DISCVRSVS DE  
CHRISTVS enim verus Sol iu-  
stitiæ in morte sua conuersus est in  
tenebras; & Luna, hoc est eius mater  
ex intima compassione tota conuer-  
sa est in sanguinem. Sunt deinde alij  
Martyres, qui particulatim patiuntur  
in corpore & non in anima, imò in-  
ter tormenta mirabilem diuina gra-  
tia in spiritu sentiunt consolatio-  
nem, accedit, quod causa ob quam  
patiuntur, quæ est Dei gloria, affe-  
rat incredibilem voluptatem, sicut  
legimus de S. Apostolo Andrea, qui  
cum tanto gaudio & exultatione ac-  
currit ad crucem, quam conspectam  
verbis affectu plenissimis salutauit,  
velut rem diu optatam & quæsitam.  
Talis quoque fuit inuictissimus  
martyr Laurentius, qui craticulæ  
ardenti impositus tyranno illude-  
bat; & alius ille martyr, qui iussus  
nudis pedibus ambulare super ar-  
dentes carbones, dicebat, sibi vide-  
ri se calcare rosas. Similiter quan-  
ta consolatione & refrigerio affe-  
ctum putamus fuisse beatissimum  
protomartyrem Stephanum, quan-  
do inter lapidationem vidit cælum  
apertum, & I E S V M pro quo pa-  
tiebatur, stantem à dextris virtutis  
Dei



Dei, & iam ad ipsum coronandum paratum? Tertia ratio sustinendi martyrij est, quando acerbitas doloris non corpus solum, sed animum etiam peruadit. Sicut contigit CHRISTO Saluatori nostro; à cuius anima sancta omnis omnino consolatio & voluptas fuit subtracta. Licet enim grauissima essent supplicia & dolores, quos in corpore suo ob temperatissimam tenerriamque complétionem, perpeffus est, tamen dolor, quo excruciabatur beatus eius spiritus, tanto fuit in infinitum grauior & acerbior, quanto certius cognoscebat se satisfacere pro peccatis totius mundi, & tamen non solum Iudæis, sed etiam multis Christianorum millibus parum re ipsa profuturam, simulque cernebat infinitam offensam peccatis nostris apud dilectissimum Patrem contractam sibi expiandam. Itaque tam intolerabiles, siue exterius siue interius, fuere eius cru. iatus, vt merito per Prophetam dixerit. *O vos o Thren. 2*  
*mnes qui transitis per viã, attendite & videte, si est dolor similis sicut dolor meus.*  
 Vbi clarissimè videmus quanto peccatis nos amarit Dominus, quod  
 R 2 pœnas



pœnas illas, quas causa nostra per-  
pessus est, voluerit esse omnis con-  
fortationis & refrigerij expertes:  
quas verò nos patimur, voluit mistas  
& temperatas esse multis consola-  
tionibus.

6. **CONSIDERA** quanta sit di-  
gnitas & præstantia huius generosi  
operis, ac primo quidem ratione i-  
pſius officij. Hi enim ſpecialim ap-  
pellantur milites **CHRISTI**, valdi-  
que illi pugnatores, quorum opera  
Dominus expugnauit inimicos ſuos  
mundum, carnem & dæmonem, vi-  
tia extirpauit, & impium idolorum  
cultum funditus euertit. Secundò ra-  
tione perfectionis huius ſtatus; mar-  
tyrium enim eſt actus ſummæ perfe-  
ctionis, ex nobiliſſima, perfectiſſi-  
maque virtute, nempe caritate, vt ſu-  
pra diximus, proſectus. Tertio, ratio-  
ne magnitudinis doni quod Marty-  
res offerunt **CHRISTO**. Nemo e-  
nim plus dare poteſt, quam is, qui  
dat ſeipſum. qua in re martyrium lō-  
ge excedit omnia alia ſacrificia & ob-  
lationes: In alijs enim oblationibus  
offeruntur tantum res quædam ex-  
ternæ, vel pars tantum hominis in-  
terioris, ac in martyrio omnia tam  
externa



externa quam interna offeruntur.

QVARTO ratione difficultatis victoriae, magna enim virtus in animo requiritur, vt corporis cruciatus, mortemque contemnat, cum etiam ipse CHRISTVS impendente sua passione, vt scriptum est, signa timoris & moeroris dederit. Similiter martyrij metu multi sancti vacillarunt in fide, quidam etiam eam deseruerunt. Quintò, quia martyres maiorem habent cum Christo conformitatem: vt enim de eo dixit spòsa. *Dilectus meus candidus & rubicundus* Cant. 5. Sic hi gloriosi sancti eum imitantur in candore per mentis puritatem, & vitæ integritatem, ac similiter in rubore imitando sacram eius passionem. Ac magna solet esse militis gloria, quando se conformat, & quasi similem reddit suo inuictissimo duci. Sextò ratione pretiosæ eorum mortis De martyribus enim peculiariter scriptum est. *Pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum eius* Psal. 116. Pretiosa, hoc est, valoris inæstimabilis, quia pro illa datur æterna gloria, illaque cælum ipsum comparatur. Septimò ratione securitatis propriæ salutis; nam, vt aiunt Doctores, qua-



tuor sunt hominum genera, quibus statim aperitur cælum post mortem. Primi sunt pueri Innocentes, & alij recens baptizati. Secundi sunt, veri contriti, qui perfectam pœnitudinẽ peccatorũ habent. Tertij, qui ad culmen perfectionis & caritatis peruenerũt. Quarti, qui martyrio gloriose vitã finiunt, hoc enim summo caritatis actu anima ab omnib⁹ maculis expurgatur. Vnde, teste Augustino, iniuriam facit martyri, qui orat pro martyre; quare debemus potius ei congratulari, orareque non pro illo, sed pro nobis ipsis, vt eorum orationibus adiuuemur. Octauò, quia perfectẽ Christum imitantur, conuenienter illi dicto. *Qui vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam & sequatur me*, quæ tria Martyr morte tolerata pro CHRISTO perfecte adimplet & præstat. Nonò ratione consolationum maximarum quibus Deus solet eos recreare, qui amore ipsius aliquid patiuntur, sicut dixit Apostolus. *Sicut abundant passiones CHRISTI in nobis, ita per CHRISTVM abundat consolatio nostra*. Tanta verò est consolatio, quam martyr sentit in corde, dum animad-

**LUC. 9.**

**2. COR. 1.**

uertis.



COMMUNI SS. 339.

uertit se per martyriū reddi conformem CHRISTO, & proximum esse gloriæ, vt etiam inter media tormenta hæc sua interna consolatio in corpus ipsum, partemque sentientē redundet. Decimò & vltimo, ratione venerationis, cultusque quo Ecclesia illorum gloriosum natalē celebrat, ac meritò, quia hi sancti multis beneficijs cumularunt, & continenter cumulant Ecclesiam sanctam. Nam primo eam cōfirmarunt testimonio proprii sanguinis. Secundò nostram tepiditatem excitant, & deuotionem accendunt. Tertiò populum fidelē, non solū, salutaribus consilijs, sed multo magis viuis efficacibusque inuictæ suæ virtutis exemplis iuuant. Deniq; sūt nostri fidelissimi aduocati & protectores: nā securi de salute sua, solliciti adhuc de nostra, orationibus suis & meritis apud dominū in omnibus necessitatib⁹ nobis succurrūt.

7. I A M. verò quod ad præmium attinet à Domino in cælo præparatum pro suis his inuictis militibus, proq; gloriosis bellatorib⁹, profecto nullo ingenio poterit vnquā dignè cōprehendi, nullaq; oratione exprimi, quāta eius sit magnitudo & excellentia.

R. 4.

lentia.



lencia . Tanta enim eorum remuneratione est, vt omnem modum excedat, tam copiosa, vt numerari nequeat, tam plena & abundans, vt finem nō habeat, tam pretiosa, vt omnem estimationem & valorē excedat. Et quāuis multa videntur passi sancti in terra, nihil tamen fuit comparatione beatitudinis quam sunt consecuti.

Rom. 8.

Nam vt loquitur Apostolus, *non sunt cōdignae passionēs huius temporis ad futuram gloriam, quae reuelabitur in nobis.*

Hic considera, quando hae sanctae animae victrices exeunt è campo sui cruenti conflictus, quanto triumpho & gloria conscendant cælum, quantoque gaudio & exultatione à supernae Hierusalem ciuibus deducantur & recipiantur: maiore procul dubio, quam Dauid adolescens, quando reuertenti victori cum capite illius superbi Philistæi ab eo occisi, obuiam præcedebant cum varijs hymnis & canticis filiae Hierusalem dicentes, *Percussit Saul mille, & Dauid decem mil-*

1. Reg. 8.

*lia* Nam potuere quidam Tyranni affligere atq; etiam vita spoliare corpora martyrū, sed nihil potuere amplius contra illos: at horum gloriosorum Sanctorum victoria fuit mul-



COMMUNI SS. 300

to maior, quia non solum vicerunt  
tyrannos persecutores, verum etiam  
in ipsis vicere demonem, qui inuidia  
sua malitiaq; illos instigabat: vice-  
runt similiter & mundum, atque et-  
iam mortem ipsam. Quapropter cō-  
gruenter Saul in Tyrannorū persona  
solus percussit mille, sed David in  
persona SS. Martyrum percussit decē  
millia. Non fuit satis clementissimo  
gratissimoque domino nostro adde-  
re animum seruis suis, qui propter  
ipsum in hac vita laborant & affli-  
guntur, promittendo illis auxilium,  
dicendoq; , ne sint solliciti: se verbis  
eorū tantam efficaciam adiuncturum,  
tantamque præbiturum sapientiam,  
cui resistere nec repugnare valeant  
omnes eorum aduersarij: sed voluit  
præterea spe præmij eos confortare,  
quando eis dixit, ne dubitarent, nec  
enim vel capillum de capite eorum  
periturum, ac licet corpora eorum  
impijs carnificum manibus lania-  
rentur, & ferarum dentibus discer-  
perentur, ac flammis etiam arderent  
& consumerentur, se tamen etiam  
minimi capilli curam habiturum.  
Iam si Deus tanti facit vnum capil-  
lum martyrum, quanti faciet eo-

R s. 1150



rum animas, quantum honorabit & solabitur? Sic enim fatetur ipse Dominus in Apocalypsi. *Qui vicerit dabo ei sedere in throno meo, sicut & ego vici, & sedi cum Patre meo in throno eius.* O quæ dignitas, quæ gloria singularis animæ est, posse assidere supremo Regi in throno regio, dum ante eum in pedibus consistunt, velut ministri, omnes Principatus, potestates, throni & dominationes, sicut de illis scriptum est. *Millia millium ministrabant ei, & decies milia centena millia assistebant ei.* Quod non eo fit, ut homines putentur angelis antelati, nam & ipsi cum Dracone infernali dimicarunt, & in sanguine agni vicerunt; sed quia iusto DEI iudicio Martyribus illa singularis prærogatiua conceditur; sedendi, iudicandique illos, à quibus iniquè fuerint iudicati. O immensa bonitas, O ingens CHRISTI Domini nostri liberalitas, qui tam exiguas & breues seruatorum suorum afflictiones, remunerat tam gloriosa & æterna corona, sicut bene expressit his verbis Apostolus. *Quod in presenti est momentaneum & bene tribulationis nostræ, supra modum*

Apoc. 2.

Dan. 7.

2. Cor. 4.



*dum eterne glorie pondus operatur.*

Et rectè vocat glorie pondus : tanta enim est eius magnitudo, vt nec ab homine, nec ab Angelo vlla ratione sustineri possit, nisi à Deo mirabiliter sustentarentur.

8. QVONIAM verò proprium victorum præmium esse solet, coronari, vt dicit Apostolus, *non coronabitur, nisi qui legitime certauerit.* idcirco Propheta de his victoribus loquens, dixit. *Posuisti in capite eius coronam de lapide pretioso.* Duabus ergo coronis coronati sunt sancti Martyres. Vna aurea, quæ non est aliud, quam ipsa beatitudo & gloria essentialis, quæ consistit in beatifica DEI visione, quæ communis est omnibus beatis, qui omnes, vt cælestis Regis filij, & regni eius hæredes meritò ipsi quoque vocantur Reges, & hac regia corona ornati sunt, teste Euangelista Ioanne.

*Fecisti, inquit, nos DEO nostro regnum & sacerdotes, & regnabimus super terram.* Altera corona sanctorum Martyrum est, quæ à Doctoribus dicitur, Aureola, quæ præmij loco datur ijs, qui heroico aliquo opere excellentem quandam victoriam ex

R. 6. hoste



hoste retulerūt. Sunt autem eiusmo-  
 di aureolæ omnino numero tres,  
 conuenienter triplici militiæ spiri-  
 tali in qua se Christianus exercet. nã  
 alij cum mundo, alij cum carne, alij  
 cum dæmone bellum gerunt. Ex his  
 verò martyres peculiariter & excel-  
 lenter expugnant mundum, repu-  
 diando omnem eius gloriam & vo-  
 luptates, patienterque tolerando o-  
 mnes persecutiones vsque ad mortē.  
 Virgines verò speciatim domant &  
 mortificant carnem, abstinendo ab  
 omnibus delitijs carnis, alijsq; mul-  
 tis actionibus etiam licitis. Doctores  
 deniq; Ecclesiæ particulatim vincūt  
 dæmonem, dum verbo Dei eum ē  
 cordibus mentibusque hominum  
 exterminant. Hæ ergo Aureolæ non  
 aliud sunt, quam quædam sanctarū  
 animarum accidentalis gloria, cer-  
 tumque corporis gloriosi ornamen-  
 tum, quo quasi simbolo ab Angelis,  
 alijsque beatis dignoscuntur, & ho-  
 norantur quasi digni illa præroga-  
 tiua ob heroicum facinus perpetra-  
 tum. Inter has autem coronas & au-  
 reolas omnium honoratissima glo-  
 riosissimaq; est illa sanctorum mar-  
 tyrum, tum ratione actus quo acqui-  
 situs



ritur, qui difficilior illustriorque est  
 cæteris: tum quia in aureola martyrij  
 continentur aliæ duæ. Nam martyr,  
 non solum refert victoriam ex mun-  
 do contemptis honoribus, opibus, &  
 voluptatibus, sed etiam ex carne, ex-  
 ponendo corpus acerrimis cruciati-  
 bus atq; doloribus vsq; ad mortem:  
 deinde debellat quoque dæmonem,  
 dum inuicta sua constantia illum pu-  
 defacit, & inanes reddit omnes eius  
 conatus & machinationes, quib. o-  
 pera tyrannorum sanctam fidem con-  
 uellere, & nomen Christianum ex-  
 tingueremolitur. O quam pulchrum  
 quamque iucundum erit spectaculum,  
 oculis in cælo cernere candidatum  
 illum Martyrum exercitum coronis  
 aureis in capite gemmis pretiosis in-  
 termicantibus, splendidisque & can-  
 didis vestimentis, adamantibus, mar-  
 garitis, & pyropis nobilissimis vndi-  
 que distinctis fulgentem. Vbi ada-  
 mantes denotabunt insuperabilem  
 illorum fortitudinem; margaritæ la-  
 chrymas & sudores: pyropi vulnera,  
 sanguinemque amore CHRISTI  
 profusum. Venite nunc filiæ Hieru-  
 salem, ciues superne patriæ, & videte  
 hos gloriosos martyres cum coro-



nis, quibus à Domino in die fœlicis  
 fui Natalis sunt cum summa cordis  
 lætitia coronati. Hi sunt nobiles  
 illi triumphatores, qui spretis impijs  
 terrenorum Principum edictis mi-  
 nisq̄ue, meruerunt ad præmia ater-  
 na peruenire. Hi sunt qui viuentes  
 in carne proprio sanguine suo Ec-  
 clesiam fundarunt, & calicem Do-  
 mini biberunt, facti perfecti eius i-  
 mitatores & amici. Hi denique sunt  
 qui ab Euangelista Ioanne visi sunt  
 stantes ante thronum Dei coram a-  
 gno in stolis albis, & palmæ in ma-  
 nibus eorum; cumq̄ue peteretur, qui-  
 nãm essent, responsum est, eos ex  
 magna tribulatione venisse, lauisse-  
 que stolas suas, & dealbauisse in san-  
 guine agni, & idcò dignos factos, vt  
 starent ante thronum Dei, illiq̄ue  
 seruiant nocte ac die, in templo cœ-  
 lesti, ipseque DEVS in throno se-  
 dens semper habitet cum eis. Quare  
 nulla amplius vel fame vel siti vexa-  
 buntur, nec villo frigore vel æstu am-  
 plius affligentur, quia agnus stans  
 in medio throni, deducet eos ad  
 fontem vitæ, & Dominus absterget  
 lachrymas ab oculis eorum.

*Apo. 7.*



9. DENIQUE præter hoc primum martyrij genus, quod consistit in perferendis corporis panis, est aliud quoddam, ut supra dictum est, interioris martyrij, quod consistit in abnegatione sui ipsius, & propriæ carnis mortificatione, de quibus dixit Apostolus. *Qui carnem suam crucifixerunt cum vitijs & concupiscentijs.* Gal. 5.

Atque hoc speciatim inuenitur in statu Religioso quem si conferamus cum martyrio, inueniemus quidem in aliquibus rebus, illo inferiorem, tamen in multis esse etiam superiorem vel certe æqualē. Et primò quidem hoc inferior est martyrio, quod in eo non sunt tam magni & acerbissimi cruciatus ac in martyrio. Contrà vero superior est, quod licet eius dolores non sint acerbiores, sint tamen diuturniores & magis continentiores, ut bene dixerit quidam Sanctus Doctor. *Viuentes in peniētiā possunt martyribus comparari: grauior est enim longa fuga, quam velox mors.* Adhæc illa vna præcipua est martyrij gloria, quæ vitæ exponat pro Christo, quæ summum est omnium quæ ab homine dari possunt. Religio verò licet hanc gloriam non habeat, tamen prolongatione vitæ, quæ

ma-



magnam occasionem præbet multorum operum bonorū exercitio, hanc gloriam apud Dominū in cælo non æquare solū, sed etiā superare potest: atque ita habita ratione nostri spiritualis profectus, cuius causa in mundum venimus, non dubium est, quin multi anni sanctè in religione impensi maiorem meritorum præmiorumque cumulum efficiant, quam solus actus martyrij, qui vno momento sæpe absoluitur. Accedit quod assiduum illud studium contentioque religiosorum in vitijs oppugnandis, virtutibusque acquirendis quasi cōtinuum sit Martyrium. Etenim, sicut quando tyranni conabantur tormentis Confessoribus eripere CHRISTVM & fidem, qui vsque ad mortem eis resistebant vocabantur Martyres: sic quando maligni spiritus perse, vel alios varijs tentationibus & fraudibus conantur Christum eripere ex seruatorum eius cordibus, adimendo illis pudicitiam, temperantiam, humilitatem, aliasque virtutes, qui fortiter illos oppugnant, & cum labore obluantur, meritò quoque appellari possunt Martyres, imò eo magis, quod hi demonem ipsum, illi

verò



vero tantum homines infestos habe-  
 ant. Præterea instituto religioso par-  
 ticularim hæc competit gloria, pri-  
 mo ratione voluntariæ paupertatis.  
 ut enim asserit deuotus Bernardus,  
 non alia de causa Dominus eandem  
 mercedem promisit pauperibus &  
 Martyribus (vtrorumque enim dicit  
 esse regnum caelorum) quam quia  
 paupertas voluntaria est quoddam  
 martyriū. Nam quid admirabilius  
 esse potest, quod martyrium gra-  
 uius, quam in tanta ferculorum co-  
 pia pati famem, inter tot tamq; pre-  
 tiosa vestimenta algere, inter tantas  
 opes, quas mundus offert, hostis pro-  
 mittit, & appetitus humanus deside-  
 rat, semper esse mendicum? An non  
 ergo merito coronabitur, qui in hūc  
 modum pugnat, contemptis mundi  
 promissis, illuso & triumphato ini-  
 mico, ac crucifixa propria conscien-  
 tia à qua stimulatur? Deinde nō pau-  
 pertas tantum, sed continuus quoq;  
 ille conflictus castitatis, illa corporis  
 per penitentiā maceratio, abstinen-  
 tiæ, cilicia, disciplinæ, aliæque mor-  
 tificationes religiosæ sunt quoq; ge-  
 nus martyrij. Abnegatio verò pro-  
 prii iudicij, & voluntatis, non aliud  
 est

est



est quam quotidianum martyrium; si horrorem quidem spectes, paulo illo mitius & lenius, sed diurnitate longinquitateq; temporis molestius. Verum quia ad rationem veri martyrij videtur requiri mors, vt illa nō secuta nemo martyr appelletur: Vide quemadmodum nec hac perfectione careat religiosum martyriū. Et primo quidē, sicut morte corporali homini subtrahuntur opes, parentes, amici, omnesq; res huius mundi: ita ingressu religionis homini eadē hæc adimuntur, haud secus quam si mortuus esset: immò morte corporali multo facili⁹ homines his cōmodis, quibus in altera vita opus nō habēt, se spoliari sinunt, quā religiosi, quia continenter illis manent oculis obiecta, & frui illis possent, si modo vel-  
 lent. Itaque quo animus nobilior est corpore, hoc cruciatus iste altero grauior est & molestior. Denique in martyrio homo moritur corpori, at in religione moritur sibi ipsi. Vnde parum refert animam viuere in corpore, si non amplius sibi viuat, sed  
 CHRISTO. Atque hinc merito efficitur, non vnum in religione esse martyrium, sed multa, cum in ea sit  
 per-



COMMUNI SS. 401

perpetuum quoddam bellum, continuumque certamen cum callido serpente, inimico nostro, qui id vnum laborat, vt nos, sublato Christo miserè depascatur. O singulare status religiosi priuilegium, quod præter alias multas excellentias & merita, omnes qui in ea viuunt, licet illis gladio persecutoris propter Christum non adimatur vita, non tamen destituti sint martyrij merito & gloria. O sacer religiosæ seruitutis status, qui homines non solum facit martyrib. æquales, sed etiã Angelis, Deo caros, dæmonib. terribiles, & omnibus fidelibus commendabiles. O seruitus digna, quæ ab omnibus amplexetur & desideretur, cuius beneficio mere- mur summum bonum, sempiterno perfruimur gaudio, & fællicissimam perfectissimamque cum Deo assequi- mur coniunctionem.

COLLOQVIUM.

O Dulcissime IESV, ô verum exemplar, caput & Princeps oïum Martyrum, qui nõ solum verbis nos cohortari dignatus es ad abnegandum nos ipsos, crucem deportãdam, & te insequendũ, sed voluisti quoque  
ad.



admirando exemplo tuo, preclara cruce nos animare & ad eandem perferendam confortare; oro te per illam immensam caritatem, quæ te ad hoc totum oporandum faciendumq; pro nostro solo commodo, maioriq; salute permouit: vt quandoquidem non merui re ipsa aliquid pati, vel sanguinem profundere pro nomine tuo, vt minimum mihi eam largiaris gratiam, vt saltem in animo accensum quoddam sentiam desiderium, possimq; esse e numero illorū martyrum, qui per mortificationis viam tua gloriosa exempla, salutariaq; sequuntur consilia: atque ita crucifigam voluntatem meam in omnibus suis cupiditatibus & afflictionibus terrenis, cor in omnibus inordinatis desiderijs & amoribus, ac carnem omnibus vitijs & mundi concupiscentijs: vt hac ratione mihi perfecte mortuus tibi soli viuam, te solum amem, te desiderem, & tui amore omnes huius vitæ afflictiones & ærumnæ dulcescant, omnesque labores & onera alleuiantur.

## DOCUMENTA.

Luc. 21.

1. **C**ONSVLIT Dominum, ne tempore persecutionum sollicitissimi in



premeditando quid respondeamus: se suggesturum illa hora quid respondendum sit aduersarijs nostris. vnde discimus idem faciendum in persecutionibus spiritualibus, inuisibilem, quando demon, in rebus quas constat ad gloriam Dei aliorum, que salutem pertinere, ut deterreat & abducatur à bono proposito, obijcit ob oculos difficultates & pericula, que euenire possunt: suggerens, si hoc vel illud eueniat, quid esses acturus: nec enim debemus tunc esse solliciti, ut certò statuamus, quid hoc vel illo casu dicendum agendumue sit, tunc enim Deus non concurrat sua gratia, sicut consuevit concurrere dum casus illi reipsa eueniunt: respondendum autem est inimico, quod quidam seruus Dei respondit, dicens. Quando casus ille euenierit, probe scio quid agendum sit, quid autem ego sim acturus, nescio; nec iam attinet id definire.

2. Dixit CHRISTVS seruos suos à proprijs parètib, cognatis & amicis tradendos in mortem & occidendos: ut intelligeremus in nostris tribulationibus persecutionibusque, non debere nos perfugium habere tantum ad parentes & amicos, in illis spem desigere, ex eorum sententia & arbitrio pendere: periculum enim est, ne illi secuti consilium carnis & mundi nos pro-



prodant, & causam praebeant nostrae condemnationi; at debere potius confugere ad Deum nostrum, amicum fidelē, & verum patrem, in eo securē confidere, ab eo omne auxilium & solatium expectare.

3. Non legimus ante Saluatoris aduentum, cum homines vitam agerent carnalem, inter cognatos & amicos fuisse aliquam ordinariam persecutionem, ut se mutuo traherent ad mortem. At postquam cepere amplecti fidem CHRISTI, ac sanctē viuere, mox exorta sunt cognatorum persecutiones, sic prorsus, ut nec pater parceret filio, nec filius patri, nec amicus amico. Hic perpetuus fuit mundi mos: ut dum filij mundanam agunt vitam, a parentibus & amicis intimē amentur, & diligantur, sed quamprimum vel minimum signum praebent saeculi deserendi, & Christo adherēdi, illico tam parentes quam amici infestissimi eorum hostes fiunt, eosque plus quam alium neminem, exagitant & diuexant, secundum illud Domini dictum. Inimici hominis, domestici eius.

Matt. 10.

4. CHRISTVS hortaturus martyres suos ad vitam pro ipso profundendam, non dixit nec de corpore, nec de vlla eius parte, eam non perituram: Sed tantum dixit, non periturum vllum capillum capitis,



tu, quae res tam parua est, ut pars corporis dici non possit; ut intelligamus, tantam Dei esse bonitatem & liberalitatem erga suos servos, ut quicquid ei offeratur ad eum colendum, licet minimum, & nullius momenti, ille tamen magni faciat, copiosoque premio aliquando sui remunera-  
turum.

5. In patientia vestra, inquit Dominus, possidebitis animas vestras. unde dicitur *Luc. 21.* timus, iniurias nobis ab hominibus illatas non esse nobis noxias, sed potius valere ad comparandam patientiam, & per hanc anime nostrae salutem. nam, ut dicit S. Apost. *Jacob. 1.* Jacobus, qui patienter suffert tentationes recipiet coronam vitae, sicut contra, qui perdit sapientiam, perdit & coronam

6. Non dicit Dominus, servos suos in persecutionibus & patiendo possessuros animas suas, sed in patientia: ut iudicaret, non sufficere ad salutem si multis afflictionibus & aerumnis obnoxij simus, ac etiam patiamur pro ipso Christo, nisi haec omnia toleremus patienter & ad finem perseue-  
remus; neque enim pena toleratae, sed patientia ipsa coronatur.

7. Quemadmodum veri martyres sunt, qui pro gloria CHRISTI, & proximi salute contemnunt vitam, sic quando quis ut Christiani hominis officio faciat satis,



406 DISCURSUS DE  
non laborat, quid homines de se loquantur  
vel sentiant, sed liberè dicit, quod putat ad  
gloriam Dei esse conueniens, aut non erubescit in presentia aliorum bonum opus  
exercere: vel certe si religiosus est, nihil  
pendit, si, quia vel mortificationem aliquam  
facit, vel Regulas suas obseruat, contem-  
natur, vel etiam stultus habeatur: hic, in-  
quam, similitudine quadam potest etiã vo-  
cari Martyr. Nam sicut martyr anteponit  
CHRISTVM vite sue, sic hic anteponit  
Christum gratia humanae. Quapropter  
sicut martyrium est actus summae perfecti-  
onis, ac proinde summo premio dignus, sic  
anted. Et actus ob similitudinem, quam  
cum martyrio habent sunt quoque  
magna perfectionis, & in  
salo copiosè remune-  
rabuntur.

DE

